



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

1. Vis eloquentiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

cem præbuit ad Achillis naves per media Græcorum castra eunti, & Hectoris filii corpus, sepeliendi causâ, ab Achille redimere cogitanti.

## Ethica.

I. (a) Per auream, potentemque Mercurii virgam intelligas vim atque virtutem Eloquentiæ, seu facundæ Sipientiæ, quæ mirum habet in mortalium animos Imperium. *Qui sapiens est corde, ait Salomon Prov. 16. appellabitur prudens: & qui dulcis est eloquio, majora percipiet.* Id est, præclariora præstabit. Neque enim satis est, eloquentiam corde contineri, nisi suavi, nervosque depromatur eloquio. Quid est enim Mercurium alas habere in pedibus, nisi virum sapientem & disertum velocissimo cogitationum volatu per diversos argumentorum locos ferri ad rem verosimilem reddendam? Quid concitare ventos, quàm dominari in varios hominum affectus? Quid sopire vivos, & excitare mortuos, quàm orationis efficaciam in omnem partem impellere audientes? ut sive bellum sit ineundum, omnes conclament arma; sive pax eligenda, gladium dimittant omnes. Quid enim, inquit Tullius lib. 1. de Orat. tam potens est atque magnificum, quàm populi motus, Judicium religiones, Senatus gravitatem unius oratione converti? Quid tam regium, tam liberale, tam munificum, quàm opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam necessarium, quàm tenere arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel provocare improbos, vel te ulcisci lacessitus? Hæc ille. Credebatur hic idem deus animas orco evocare, hoc est, ex locis illis obscuris & tenebricosis in lucem producere. Hoc ipsum est, quod potest eloquens Sipientia, quæ intellectum auditorum illuminat, mentis tenebras discutit, & ad veritatis cognitionem, amorémque virtutis perducit. Vis *Soporifera* huic virgæ indita, valet ad sedandas animorum perturbationes ac concitationes, mortuosque, hoc est, sceleratos à flagitiis ad vitam homine dignam revocandos. Quidam per *talaria* intelligunt negotiantium, alii medentium celeritatem, quæ adhibenda, sive quæstum facere, sive morbos depellere velis. Sunt autem Medici, qui animas ad inferos mittunt, & iterum revocant; dum eorum alii desperatos à morbis exfuscitant; alii non desperatos ad orcum demittunt.

II. (b) Mercurius, Caduceator seu Caducifer, legati pacifici exemplar est, quia *medius*, imos, summósque deos conciliat, & pugnantes

Gggg 2

inter

(a) *Vis Eloquentia.* (b) *Pacis stansum.*